3

EPITOME GESTORUM

QUORUMDAM

FRATRUM, ET SORORUM

QUI

De Ordine Prædicatorum in Provincia Regni Neapolitani ab anno 1642. ad uſque 1756. ſanctimoniæ opinione, & virtutum fama floruerunt.

AUCTORE

FR. JOACHIMO MARIA MAYO

Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ Baccalaureo, atque in almo D. Thomæ Collegio Matheſeos, Linguarum Orientalium, & Eloquentiæ Anteceſſore.

NEAPOLI MDCCLVI.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

Publica auctoritate.

REVERENDISSIMO PATRI

F. VINCENTIO FERRETTI

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO

ORDINIS PRÆDICATORUM PROCURATORI

ET VICARIO GENERALI

Ceteriſque Patribus in Comitia Generalia v. Nonas Quintilias anno 1756. coeuntibus.

FR. JOACHIMUS MARIA MAYUS.

PERGRATUM, Ampliſſimi PATRES, mihi fuit, illud mihi negotii datum eſſe; ut noſtri Ordinis Hominum, qui ad hæc prope tempora in noſtri Neapolitani Regni Provincia morum ſanctitate, & opinione virtutum inclaruere, præclara jam facinora memoriæ proderem. Sed nihil jucundius, nihilque antiquius mihi accidit, quam me hunc in cenſum egregiam Fœminam Sororem Urſulam Mayam Amitam meam relaturum eſſe, quæ præterito anno meritis cumulata, ad Cælum ut opinor, avolavit. Ego vero grandia talium Heroum facta quam breviſſime, celerrimeque contexuiſſe me fateor:

quæ quidem elogia, cum more majorum ad generalia isthæc Comitia deferri consueverunt, ipse alii nulli, quam vobis totius Ordinis Principibus Patribus, in eadem Comitia ad commune omnium nostrum bonum, & ad nobis ex Divina Voluntate supremum Caput, & Pastorem designandum coeuntibus, in perpetuum meæ erga Vos omnes observantiæ monumentum, isthæc, quæ a me conscripta sunt, jure dicanda censui. Valete.

LECTORIBUS.

JAM *ſacrae nos paginae ſatis monent majores noſtros verae virtutis gloria fulgentes ſummis eſſe a nobis laudibus magnificandos: ut ex talium virorum laude & ſempiterna Dei immortalis magnificentia maximopere ſuis in Famulis exaltetur; & nos exemplo illorum hiſce foecundis culpae ſeculis non ſegni pede virtutis incolumis ſemitas ſequi arduas facile moveamur, & factis. Jamque nobis in hiſce Parentum noſtrorum collectis glorioſis facinoribus videre licebit nobiles tot Heroas excellenti virtute, & prudentia in poteſtatibus ſuis dominantes: mirari dabitur illos ore fatidico ſacrorum vatum dignitatem nunciantes, imperanteſque praeſenti populo, atque virtute prudentiae ſanctiſſima fundentes verba in Populi ſalutem: ſuſpicere denique erit illos vera virtute divites, ſolidae pulcritudinis ſtudio flagrantes, pacemque in domibus ſuis ſancte colentes. Haec, & id genus alia, quae de tantis Viris hic legere contigerit, noſtros jam animos ad ſempiternam Dei gloriam magnificandam excitare, & ad ſecundum illorum exempla noſtram vitae rationem componendam, dirigere valebunt: dum eos his auditis laudibus extollere conamur. Quadere* laudemus Viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua. Multam gloriam fecit Dominus, magnificentiam ſuam a ſaeculo. *Eccleſiaſtici* 4. *Ne autem plura eloquar, ad rem veniamus.*

PROTESTATIO.

Apostolicis sanctionibus, & Decretis cum Sacræ Rituum Congregationis, anni 1625. tum felicis recordationis Urbani Papæ VIII. anni 1634. humiliter obsequendo protestatur Auctor, præmonetque, se hæc Servorum Dei mira facinora ita quidem scripsisse; ut nullo pacto videantur tamquam ad lydium lapidem a S. Sede examinata, atque probata; sed tantum veluti mera historica monumenta, quibus humanæ dumtaxat Fidei pondus accedere valeat.

F. ERASMUS MACARELLIUS.

PATER F. Eraſmus Macarellius *de Cajeta* ex patria dictus, Sacræ Theologiæ Magiſter, Vir fuit plane Apoſtolicus, doctrina eximius, omnium virtutum gloria cumulatus, & caritate præſertim cum in Deum tum in proximos præſtantior. Cajetæ ad Latium in Campania felici ex honeſtis, piiſque conjugibus Eraſmo Antonio Macarellio, & Dorothea Velluccia Nonis Octobris anni 1680. natus, ab ætate prima incredibili fervore Deo ſervire ſtuduit. Adhuc puerulus verbo, & exemplo coævos ſuos in Dei amorem incendebat uberius, & ad meliorem frugem revocabat frequenter; tum mira dexteritate in eorum diſſidiis componendis ſe gerebat. Humanis litteris, & naturalibus diſciplinis erudiendus traditus ita brevi profecit; ut ipſis mirantibus magiſtris, & difficillima quæque celerrime abſolvere, & ſuis condiſcipulis mire antecellere viſus ſit. Duodeviginti annos natus in Prædicatorum Familiam divinitus vocatus fuit; etenim cum ad illam nimio adſpiraſſet æſtu, & a matre ſpem omnem ſuorum ab eo expectante, impediretur, divino contigit conſilio ut gravi perculſus morbo, ad extrema uſque devenerit, atque cæleſti apparitione S. Patris Dominici recreatus ab eo exceperit, ut moneret Matrem, ſe mortem tantum evaſurum, ſi ſuum Ordinem ingrederetur; quo matri nunciato, & promiſſione excepta, miro portento ſtatim ab omni morbo liber evaſit. Inter Prædicatores hoc prodigio in Provincia Regni cooptatus Ordini nomen dedit anno 1698. & Neapoli Cœnobii S. Petri Martyris alumnus adſcriptus fuit. In ipſo Religionis tirocinio, quod Sueſſæ peregit, graviſſimas dæmonum adhuc ei viſibili adſpectu inſultantium impugnationes Dei ope, adhibita oratione, & jejunio, ſuperavit, ac fregit, & conſtans in propoſito ſolemnibus emiſſis votis ita animum ſuum ſcientiis, & virtutibus excolere ſtuduit; ut ſanctitas cum doctrina in ipſo certare viderentur.

II. Sui inſtituti ſanctiſſimas leges in primis adeo exequi curavit, ut nihil umquam intermiſerit eorum, quæ ad accuratiorem diſciplinam regularem prorſus explendam conducere viderentur; totamque vitam ad Sanctiſſimi ſui Patris Dominici normam, formamque ſtatutam omnino componere tanto ſategit ſtudio, ut pares ſuo ævo habuerit paucos, ſuperiorem vero neminem, ac veluti exactæ obſervationis exemplar adhuc in ipſis primordiis ceteris omnibus proponeretur. Ad majora autem dein contendens, dum Presbyterio initiatus fuit, quærens chariſmata nobiliora, ardentius perfectionis iter adripuit; atque amoris victimam, virtutiſque holocauſtum ſe totum Jeſu Servatori ſacravit. Mira pœnitentia corpus ſuum nitido ſemper candore illibatum & innocuum, ſæpenumero ſingulas in noctes cruentis tundebat flagellis; illudque aſpero cilicio, & catena ferrea aſſidue domabat; continuis jejuniis, quibus cibi parciſſimus vel menſam tantum pane, & aqua definiebat, vel integros dies jejunus traducebat, quotidie extenuare conabatur; frequentibuſque vigiliis, quibus orationi, & ſacris vacabat unice ſtudiis, frequenter macerabat; ac ſumma illa abſtinentia, qua carnibus nequidem infirmus, niſi compellente neceſſitate, ex ſuperioris imperio, ceteriſque obſoniis parcius ad vitæ tantum ſubveniendum utebatur, aſſidue affligebat. His autem modis corpus in ſervitutem redigere, & carnem ſpiritui ſubjicere omni

tem-

tempore ſtuduit; exinde qui ſui ita rigidus erat, & corporis, & animi puritatem adeo integerrimam ſervavit, ut in carne præter carnem vivere videretur; & quamvis frequenter fuerit Satanæ variis, iiſque acerrimis tentaminibus appetitus; lacrimis ipſe, ſuſpiriis, jejuniis, cruciatibus, aſſiduiſque precibus, ac ferventiſſimis orationibus ad Deum, Deiparamque Virginem ſuæ caſtimoniæ Patronam confugiens, nec ſegniter in ſuos hoſtes colluctans, victor ſemper glorioſum reportavit triumphum. Obedientia ita emicuit, ut Superiorum mandata veluti Dei juſſa proſpiciens adeo libenter exciperet, & conſtanter ſtatim impleret, ac ſi arbitrio ipſe, & voluntate caruiſſet.

III. In adverſis tolerandis patientia fuit incomparabilis; etenim ne dum injurias, irriſiones, ludibria, & publicas confuſiones ſibi, Deo permittente, ſumma injuria inflictas hilari ſemper vultu, & jucundo ſpiritu ſuſcipiebat; verum & acerrimas improborum calumnias immoto, & invicto animo diuturne ſuſtinere viſus ſit. Hoc autem emergebat ex heroica illa abnegatione ſui, & humilitate eximia, qua maximopere ſe omnium viliſſimum & exiſtimaret, & prædicaret: quare in publicis, privatiſque conventibus ut ſui contemtum excitaret, ſuorum natalium humilitatem deſcribere maximis in deliciis habebat, & in viliſſima quæque miniſteria ſeſe exercere ſummo ſibi honori putabat. Ad ſui itidem contemtum, paupertatem quammaxime coluit; nihil umquam propterea ſibi commodi quæſivit; ſed omnia ſibi a ſuperioribus conceſſa, eorumdem permiſſu aliis ſumma liberalitate diſtribuens, pluries ipſe eſurire, & algere gaudebat. His ille firmis peræque, ac jugibus ad perfectionem præſidiis, ad cujuslibet virtutis apicem ita devenit, ut ei prorſus aptandum cenſeatur, quod Hieronymus de Nepotiano quondam dixit. *Adeo in ſingulis eminebat virtutibus, quaſi ceteras non haberet*. Enituit vero præſertim eximia ejus cum in Deum, tum in proximos caritas, a qua una ceu fonte reliquæ omnes in ejus feliciſſimam animam promanarunt. Tanto namque erga Deum in primis intimo æſtuabat ardore, tantoque in cæleſtem Sponſum ferebatur animi impetu; ut plerumque intimis, iiſque celerrimis cordis, totiuſque corporis concuti videretur motibus, æſtibuſque, quibus ſuccenſus pœne languere, & deficere credebatur; pluries divina luce, ac cæleſti flamma irradiatus, vultu mire accenſo appareret; non ſemel in eſtaſim raptus, atque a ſenſibus diſtractus etiam in maximo populorum conventu viſus fuerit; tunc potiſſimum, cum vel ad ſacroſanctum incruentum Sacrificium celebrandum, vel Euchariſticæ menſæ ad cæleſtem panem fidelibus miniſtrandum ſeraphico ardore ſuccenſus accedebat. Hac divini amoris ſuavitate perfuſus, iiſque ſupernis deliciis inebriatus appetens beatorum vitam, altiſſima contemplatione rebus divinis, ſuperniſque myſteriis ſpiritum ſuum jugiter addictum adfixumque habebat, & corpus multoties cæleſti fulgore circumdatum non ſemel in aera elevatum cernebatur. Flagrantiſſimo potiſſimum erga Sanctiſſimam Domini paſſionem, & tormenta ita tenebatur affectu, ut Chriſti Cruci affixus pro eo pati mala omnia, eaque graviora properaret, gauderetque in pœnis. Profecto in ſe adimpleturus, quæ fortaſſe ei deerant, afflictiones, in ejus memoriam flagris ſe cædere, aliiſque cruciatibus ſe cruentare ſtudebat; atque in hiſce tormentis tantam animi jucunditatem ſentiebat, ut Paradiſi dulcedine frui videretur. Magno quoque affectu in Deiparam Virginem fuit, ut nulla de re jucundius verba faceret, omneſque ad ejus cultum devotionemque vehementer accendere ſatageret. Exinde ſanctiſſima *Jeſu*, & *Mariæ* nomina ſemper in pectore & ore geſtabat; eaque continuo ſalutare illi ſollemne ubique fuit, ſemperque

perque repetens *Ave Jesu*, *Ave Maria*.

VI. Quare ille quamqam fuisset terrarum incola, conversari tamen videbatur in Cœlis, & quamvis natura fervidus, mitissimum tamen, atque humillimum omnibus sese exhibebat; donis cælestibus quamvis undique cumulatus, prophetiæ videlicet spiritu, cordium cognitione, occultorum, absentiumque scientia, & adhuc miraculorum gratia; ita de se abiecte, & humillime intimo sentiebat corde, ut se revera veluti peccatorem indignum appellare non ambigeret, in sui contemtu maximopere gauderet; & de suis laudibus omnino tristaretur. Tanto summi Dei amore exæstuans, tantaque rerum cælestium dulcedine perfusus, a mundo, ejusque pompis omnino sese abdicavit; quare emenso egregia cum laude de more primarum lectionum curriculo, enixe Supremum Ordinis moderatorem deprecatus est, ut se velut inutilem inertemque Virum, sibi despectum relinqueret, neque ad consuetos Religionis honorificos gradus extolleret: quod utique tunc ei pro votis cessit; at posthac transactis aliquot annis in commune Religionis bonum, ipso omni conatu repugnante, summo imperio, imo & gravissimo præcepto coactus fuit nedum ad consuetos in almo D. Thomæ Collegio transigendos gradus, quæ summa cum laude ministravit, & ad supremam Magisterii Lauream in Ordine capessendam; verum & magna vi ad prælaturas atque gubernia cum eodem in Collegio; tum in suo S.Petri Martyris Cœnobio, tum alibi pluries exercenda coactus fuit. Qui autem ita in Deum feruebat ardore, difficile dictu est, quanto quoque erga Proximos suos amoris impetu ferebatur. In eorum spiritalem salutem intensissimus nullam iis in animarum profectum opitulandi occasionem elabi passus est. Hac de causa totus erat in concionibus ad populum habendis, in confessionibus Fidelium quotidie excipiendis, in revocandis verbo, & exemplo delinquentibus e peccatorum cœno ad pœnitentiam, & ad meliorem vitæ frugem, in dirigendis, in quo plurimum valuit, ad rectum pefectionis iter animabus maxime scrupulosis, atque piis ad meliora charismata promovendis, in erudiendis Christiana doctrina imperitis; & mirabile dictu est quantum uberem in horrea Domini congregaverit segetem, quas in claustris Virginum sparserit amoris flammas, quasve seu in Clerum, seu in Nobilium cœtum, seu in populos dispensaverit directiones, consilia, monitiones, quibus omnes cujusvis indolis homines ad Jesu Christi amorem dulciter suaviterque incendebat. Eapropter ad eum consilii causa tamquam ad unicum Directorem, & Consultorem, etiam e remotis regionibus confluebant viri gravissimi, & Ecclesiæ Præsules, & Magnates, & Principes, ejusque consilia veluti divina oracula excipiebant. Non destitit quoque eadem caritate compulsus proximis suis pauperibus in corporalibus indigentiis maximo esse emolumento: qua de re noctuque, diuque vicos, plateasque circuibat, egenis copiosis eleemosinis subveniendo, infirmis in carcerem conjectis, viduis, pupillis, derelictis, oppressis, & quibusvis aliis afflictis opportune opitulando, atque alia id genus caritatis opera exercendo.

V. Dum autem hæc omnia agebat, nihil horum prorsus prætermittens, quatuordecim annis Clericorum institutioni in Cœnobio S. Dominici Majoris de Neapoli mira caritate, vigilantia, & prudentia præfuit, quos ad S. Dominici leges, moresque in regulari disciplina mire instituit, egregieque formavit; nec non & pluribus aliis Cœnobiis summa quoque & prudentiæ, & caritatis laude, atque regularis disciplinæ incremento Præsul fuit. Inter tot caritatis officia incredibili pauperum, qui eum Patrem appellabant, luctu & magno omnium sui desiderio ad optatissimam properavit mortem, ad quam Dominus eum disposuit inflictis corpori extremis doloribus, & ani-

 mo

mo desolationibus, quos corporis animique cruciatus omni agone duriores invicta constantia annum fere hilariter divinæ voluntati prorsus conformatus sustinuit ac toleravit; quos inter tandem in Jesu Cruci affixi imaginem immotis luminibus fixus, eamque amplexus, & ad Jesu servatoris amorem sese excitans, Sacramentis munitus evolavit ad Dominum sexagenario major ann. 1742. magna relicta suarum virtutum opinione. Ejus corpus vividum, & tractabile, ejus vultus serenior, & venustior post obitum ita remansit, ut omnes in magnam raperet admirationem. Plurimas ante, & post obitum contulisse prodigiosas gratias, & plurima patrasse miracula omnium fama perhibet.

FR. LUDOVICUS PLANESIUS.

IN Oppido S. Juliani Aversanæ Diœceseos prope Neapolim ortum duxit Pater Fr. Ludovicus Planesius, Vir religiosæ perfectionis, & sanctitatis studiis eximius, ac solitudini, & rerum divinarum contemplationi omnino deditus ex honestis, illustribusque Parentibus Cajetano Planesio, & Anna Altera anno reparatæ salutis 1692. & in sancto lustrali fonte Michael nuncupatus fuit. A pueritia mira in Deum pietate, in parentes obedientia, in familiares observantia, atque illibato animi candore inculpata morum probitate, & firma in proposito constantia vitam innocuam Christianæ pietatis, & perfectionis operibus intentam omnino duxit. Dono gratiæ præventus, & cælesti lumine illustratus sacramenta frequentare, synaxi adsistere, verbum Dei avido corde excipere, atque meditationibus, ceterisque precibus diuturne flexis genibus vacare solemne, sacrumque habuit. Inter alia, vera devotione, & præcipua veneratione Deiparam Virginem, quam uti singularem sui Patronam pluries per diem salutatione angelica, & sacro Rosario salutabat, impense colere sategit; utque ab impubera ipsa ætate, atque ab adolescentia carnem spiritui subjugaret, atque sensibus suis habenas poneret, ferventissimus Adolescentulus corpus suum jejunio, aliisque pœnis frequenter affligere studuit. Præsertim autem ut linguæ frænum statueret ad servandam semper sermonis modestiam, ne plus nimio in verba, aut otiosa prorumperet, aut non ad libellam exacta, quatuor annis lapillum ore gestavit. Humanioribus litteris jam imbutus, primoribusque studiis jam expletis, dum ad quartum suæ ætatis lustrum pervenisset, sæculum, omnesque ejus pompas fastidiens, ut ab caducarum rerum vinculis, ligaminibusque plene solutus Deo unice inservire posset, Neapoli in conventu S. Dominici Majoris habitum Religionis Clericalem enixe postulavit, atque a Patribus hilariter exceptus, & inter Cœnobii S. Petri Martyris Alumnos adcensitus, in Cænobio S. Birgittæ de Pausilippo incredibili animi fervore, illum suscepit.

II. Novo habitu indutus in novum hominem se transformavit, & sub disciplina P. Fratris Thomæ Oliverii, cujus digna recordatio habetur *in Actis Capituli Generalis Bononiæ Calendis Junii* 1748. *in Elogiis Virorum Provinciæ Regni num. II.* tunc Novitiorum Magistri, ita se gessit; ut vix edici possit ad qualem brevi sanctitatem pervenerit: id vel ex eo dignosci valet, quod nihil in ejus moribus fuerit ad severiorem disciplinam regularem non exactum, atque ad summam legum observationem non absolutum. Solemnibus emissis votis ad Cœnobium S. Dominici Majoris fuit translatus, ubi dirigente Fratre Erasmo Macarelli, cujus jam meminimus, qui tunc temporis clericis ejusdem Cœnobii præerat, ad charismata nobiliora se-

se

ſe extulit . Abſtinentia rara , numquam niſi cogente infirmitate , & Superioris imperio carnes comedit , & tunc adhuc ægro animo , & magna ſervatâ parſimonia . Tantam quoque ſemper tenuit ſobrietatem ; ut non niſi ſemel in die corpuſculum ſuum brevi edulio recrearet , aut ſolo pane , & aqua contentus , aut paucis eſculentis adhuc male conditis . Silentii , ac ſolitudinis amantiſſimus cuſtos cellam ſibi vel ad ſacrarum rerum ſtudia , vel ad cæleſtium arcanorum meditationem veluti deliciarum locum omnino conſtituit , ubi a ceteris ſecretus his exercitiis intentus horas protraxit diuturnas ; nec inde umquam exire pro more habuit , niſi dum vel ad communia exercitia obeunda , vel ad laudes divinas in choro perſolvendas , vel ad fundendas in Eccleſia preces , vel ad exequenda ea , quæ Superiorum auctoritas imperabat , cogebatur . Sermonis ſemper parciſſimus fuit , & omnia ſua verba in Dei gloriam dumtaxat dirigebat , atque ſæpiſſime in linguæ cuſtodiam uſurpare ſolebat ſolemne illud ſervorum Dei effatum : *bis ad limam , ſemel ad linguam* . Paupertatis quoque fuit rigidiſſimus cuſtos , & executor ; itaut nonniſi obſoletis , atque attritis uteretur veſtibus ; nihilque penes ſe umquam retinuerit , quod maximam non redoleret paupertatem . Summa , atque tam mirabili obedientia ſuos ſuperiores proſequebatur , ut veluti ſibi mortuus ex eorum dumtaxat arbitrio omnino penderet : talique pacto omnibus ſuis ſodalibus ſe religioſæ perfectionis vivum exemplar exhibuit . Presbyter deinceps factus ex nova ſuprema dignitate majores mirabileſque in corde ſuo ad ſublimiorem perfectionem adſcenſiones diſpoſuit . Nam etiam tum ſibi ſuæque perfectioni attenderat , deinceps , & ſibi , & Proximorum ſaluti omni conatu & ſtudio incumbere non deſtitit . Confeſſarius præterea inſtitutus , uti & Eccleſiaſtes deſignatus , atque Prochytam in ora Campaniæ , in ſinu Puteolano Ænariæ proximam inſulam a ſuperioribus miſſus , mirum eſt quanta , & qualia ibi in Cœnobio S. Margaritæ pro gloria Dei , in proximorum utilitatem patraverit opera .

III. Pluribus annis peculiari illarum gentium profectui incumbens , totus fuit in concionibus habendis , in rudioribus inſtituendis , in exomologeſi illarum aſſidue excipienda , eiſdemque opportunis , ſalutaribuſque conſiliis præſtandis , adflictis conſolandis , pauperibus ſublevandis , aliiſque id genus operibus ſemper exequendis; ſicque in omnium ſalute procuranda , promovendaque perfectione ſedulam ſemper navavit operam ; itaut numquam tædio affectus viſus fuerit , numquam labore fractus , numquam ex laſſitudine deſiſtens ; ſed pro omnibus ad omnia ſemper promtum ſeſe exhibebat , ut omnes Chriſto adquireret , atque Cœnobii ejuſdem Superior ex obedientia dein ſtatutus , nihil tot laborum prætermittens , qua potuit , penes ſuos quoque verbo , & exemplo , nec minori prudentia ſacrarum legum obſervationem , & regularem diſciplinam enixe excitavit , promovitque . At Dæmonis arte tot magnifica invidentis bona , commota in ipſum acerrima calumnia , quam patienter , hilariterque ſuſtinuit , ſparſoque rumore , reluctante quamvis populo , ſummoque omnium dolore , & luctu inde diſcedere fuit coactus , atque a ſuis Prælatis in Cœnobium Sanctæ Mariæ Conſtantinopolitanæ de Olibano in Campania felici translatus Superior . Ibi permutato quamquam loco , & gente nihil prætermiſit eorum , quæ ſibi pro gloria Dei in proximorum ſalutem , utilitatemque videbantur agenda . At poſthac explorata , diuque probata ejus virtute a Principibus Provinciæ Patribus in Comitiis Provincialibus congregatis fuit omnium calculo adlectus pro cura tironum noſtræ Provinciæ , & in Cœnobium S. Birgittæ de Pauſilyppo miſſus , in ſocium P.Fr.Thomæ Oliverii , qui ſenio , adverſa valetudine , laboribuſque affectus unus tanto oneri jam erat impar , cui poſt mortem ipſe quoque ſuffectus fuit .

IV. Duo de viginti annis, quibus huic graviſſimo oneri humeros ſubjecit, fere incredibilia ſunt, quæ geſſit. Rigidiori legum obſervatione, ſeveriorique pœnitentia non ſolum Religionis jejunia exactiſſime ſemper obſervavit, carnes numquam nec infirmus comedit; verum & continuum jejunium ſemper ita tenuit, ut vel ſolo pane contentus eſſet, vel vilioribus oleribus male conditis. Ad matutinas laudes, quamvis pluribus obnoxius morbis non ſolum media nocte ſemper ſurrexit; verum & poſt divini nocturni penſi ſolutionem ad Eccleſiam remeans, ſuas proſequebatur preces, & e coſpectu ſui Domini genibus flexis, ſuſpiriis, lacrimiſque, & initimis cordis compunctionibus orationem ſuam pluries fere ad mane uſque protrahebat. Parciſſimum ſomnum corpori indulgebat, illudque ſuper ſacco paleis repleto, & ad ligni duritiem obſtricto, ad breves horas vel ante, vel poſt matutinas preces ſumebat. Catena ferrea, ciliciis, & frequenter flagellis, iiſque rigidiſſimis carnem ſuam cruentabat, aliiſque aſperitatibus corpus ſuum continua vigilantia ſubigebat. Orationibus ſemper, librorum piorum lectioni, aſſiduis meditationibus, ceteriſque piis exercitationibus, ſemetipſum, & ſeni Magiſtro veluti præſidium ſingulare, atque conſolationis objectum ad octo annos, quibus ille ſupervixit ſemper exhibuit, & tironibus omnibus altiſſimæ perfectionis ſpectabile exemplar. Mira cum illis dein ſe geſſit prudentia, & mira caritate, ac ſtudio ita quemlibet corrigebat, ut neminem contriſtaret, & comitate ſimul, ac rigiditate ſervata, ita quemlibet arguebat, ut neminem ad nobiliora chariſmata non promoveret, ac inflammaret. Incredibili dexteritate eorum vaniloquia in ſpiritualia colloquia vertebat, & ſemper majori eorumdem profectui intentus, eos verbo, & exemplo ad ulteriorem perfectionem, & ad accuratiorem regularem diſciplinam omni tempore excitabat. Humilitate ſumma ſe omnium minimum exiſtimans ad vilia quæque miniſteria ſemper omnibus tironibus anteibat, qua eo uſque devenit, ut in reſtauratione templi illius Cœnobii ipſe primus veluti bajulus lapides, calcem, & cæmenta ædificantibus geſtando miniſtraret.

V. Tandem e tironum cura ad dirigendas ſacras Virgines, quæ in conclavi Sactiſſimi Roſarii Neapolitani de Porta Media dicti aſſervantur, ſuperiorum Imperio adſumtus, & Confeſſarius inſtitutus, ita virtute ſumma in Virgines illas Divini amoris ſparſit flammas, tantumque in earum corda Sancti Spiritus lumen invexit, ut iiſdem fatentibus, quælibet videbatur ad nobiliora chariſmata excitata. Indefeſſo caritatis ſtudio non parum inſudavit in excipiendis illarum confeſſionibus, in præſtandis iiſdem monitis, ac conſiliis, in conſolandis afflictis, & oppreſſis, in corrigendis caute quarumdam defectibus, & in ſuſtinendis quoque a nonnullis ſibi inflictis injuriis. Frequenter illis divina eloquia proponebat, eas jugi vigilantia adhortando, commonendo, auxiliando, illuſtrando, & pluries nonnullas illarum de divinis rebus alloquendo, ita ſpiritu effervefcebat divino amore accenſus, ut nec verbum libere proferre poſſet, nec homo in vultu, ſed Angelus videretur. Miris hiſce modis illis demum, facile haud dictu eſt quantum profuerit exemplo virtutis, miniſterio caritatis, prudentia rara, & diſcretione maxima ſpirituum atque cognitione potiſſimum occultorum, quibus donis a Deo fuit ille mirifice inſignitus, ut ſponſas illas ſuas per rectos perfectionis tramites continenter omni conatu dirigeret. Itaque ex hiſce heroicarum virtutum operibus meritis plenus & cumulatus anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio, pio exitu in Cœnobio S. Dominici Majoris religioſiſſimæ vitæ diem obiit ſupremum in oſculo Domini, non exigua virtutum fama & opinione in terris relicta.

FR.

FR. MARIANUS PORCELLATUS.

INter Regalis Conventus S. Petri Martyris de Neapoli alumnos mire eluxit & P. Fr. Marianus Porcellatus Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ Lector eximia vitæ innocentia, ſummo rerum temporalium contemtu, ſeveriori diſciplina, maximo ſilentii, ſolitudinis, & orationis ſtudio, nec minori ſui abnegatione, ac fervido Dei, & proximi caritatis ardore, qui vitam duxit abſconditam cum Chriſto in Deo, & poſuit perfectionis ſuæ ſolidum fundamentum formidinem. Hic ortus Cajetæ ad oram Tyrrheni in Provincia Terræ laboris ex honeſtis, piiſque Majoribus, quarto nonas Decembris an. 1692. Ab prima juventa Deum timere cœpit, & creſcens ætate, morum probitate, atque virtutibus tantum profecit, ut adhuc provectioribus mirum in modum exemplo eſſet. Puerulus humanioribus deditus litteris ita illis ingenium colere ſtuduit, ut a Dei timore animum non retraxerit; quare adeo in ſcientia mentis, & cordis diſciplina omnibus coævis ſuis antecelluit, ut cunctis ad capeſſendam utramque ſtimulus fuerit, & norma. A conſuetudine hominum maxime ſcurrilium, & feminarum quarumcumque omnino abhorruit, ut ſuam pudicitiam, ſuorumque morum candorem prorſus illibatum cuſtodire, et ad mortem uſque ſervare viſus fuerit. Hac de cauſa ei dumtaxat in votis, & deliciis tunc erat, templa frequenter ad Dei cultum, & altaria in Sanctorum venerationem viſitare, ſacro epulo jugiter ſpiritum ſuum recreare, ac verbo Dei ad virtutis incrementum animum ſuum excitare. Præſertim Deiparam Virginem veluti ſuam præcipuam Matrem, & Patronam omni animi adfectu venerari cœpit, eique in laudem & honorem ſacrum Roſarium quotidie recitabat, & quoties ante ejus imaginem tranſibat, eam prece angelica ſalutare numquam deſtitit. Timore Dei maxime compulſus ſæculi blandimenta, & vanitates formidans; ut æternæ ſuæ ſaluti ſerio, & opportune conſuleret, ne a mundi illecebris ad caduca, & inania traheretur, non ſolum omnes carnis adfectus a ſe procul abegit, atque maximo, quo potuit, rigore corpus ſuum ſpiritui ſubjugavit: verum & mundum ipſum corde, & corpore deſerere prorſus conſtituit, ut ſuus ſpiritus in clauſtri ſolitudinem tractus, Dei famulatui omni ſtudio vacaret. Quadere Neapolim celeri pede perrexit, ad Cœnobium S. Dominici Majoris convolavit, atque a Patribus enixe petiit, ut ad habitum Religionis reciperetur. Votique ſui factus compos magna animi jucunditate duo deviginti annos natus VIII. Calendas Quintilias maximis æſtuantibus caloribus anno 1711. ſacris lanis fuit indutus, de more in Cœnobio S. Birgittæ de Pauſilippo ſub diſciplina P.F.Thomæ Oliverii tunc ibi tironum Magiſtri.

II. Qui adhuc in ſæculo degens ſæculum, ejuſque vanitates omnino faſtidiebat, a ſæculo per novum habitum, & religionis ſtatum avulſus res mundanas ita abhorruit, ut poſthac toto vitæ curriculo nec quemlibet ex ſuis videre voluerit, nec nomina adhuc ſuorum jucunditer audivet. Imo nunciata ei quandoque ſeu patris, ſeu matris morte, eam immoto animo excepit. Dei timore exagitatus majores in corde ſuo aſcenſiones ita diſpoſuit, ut a ceteris omnibus ſemper diſtractus, ſibique ſolum relictus, nonniſi, quæ Dei erant, exoptabat, & pro Deo ſolum vivere, pati, ac mori illi erat in votis. Ad tantam tunc pervenit cordis puritatem, operis ſanctitatem, vitæque innocentiam, & adeo fuit ſuarum legum rigidiſſimus cuſtos, ut omnium voce maxime ſuperiorum vere *Dominicanus*, & *Angelus* appellaretur. Profeſſione Religionis dein per ſolemnia vota emiſſa, tametſi fuerit philoſophicis,

ac theologicis disciplinis deditus ita litterarum studia cum oratione, jugique meditatione temperabat, ut vel studendo, vel contemplando semper orare videretur. Totus revera ejus vitæ cursus ad bravium virtutis, & ferventissimum Dei, proximique sui amorem fuit semper directus; propterea sui ipsius despector, atque eximia fide munitus, ope maxima roboratus, & divino æstu incensus, Deum tantum, & divina petere, optare, & consequi omni tempore avidissime optavit. Devoto semper vultu erat, utpote qui ex jugi altissimaque meditatione maximam compunctionem, & devotionem hauriebat. Exactæ obedientiæ fuit custos, qua nonnisi ex Superiorum nutu pendebat, & eorum jussibus prompte, & sollicite non parere piaculum existimabat. Paupertatis quoque amantissimus, qua nonnisi viliora in sui commodum expetebat, & frequenter adhuc, quæ suo usui erant prorsus necessaria a se penitus abiicere consuevit. Adversus semetipsum semper severus; nam corpusculum suum vel in ipsa quiete subjectis syndoni, & lectulo lateritiis testaceis, vel assulis ligneis cruciabat, ut somnus ad requiem designatus ei cederet in pœnam. Erga alios vero tanta erat dulcedine, caritate, & comitate, ut suavi sua consuetudine cunctos sibi devinciret amore. Humilitate summa nullam pertæsus videbatur injuriam, nulla contumelia exasperatus, cui ita contemtum sui adjungebat, ut semetipsum ne hilum quidem existimans, omnibus sodalibus inserviret, æque ac omnium emptitius servus. Nulla adversa re mœstus videbatur, nulla injuria provocatus, imo gaudebat in adversis, & in increpationibus quoque, seu Superiorum, seu æqualium, seu inferiorum, si forte eas in suæ virtutis exercitium subire contigeret. Nihilo tamen minus corpus suum jejuniis, flagellis, aliisque voluntariis cruciatibus ita macerabat, ut ad eam temperandam severitatem superiorum, confessariorumque imperium pluries adhiberi oportuerit. Incredibili tandem, ut cetera reticeam, devotione erga Eucharistiam, B. Virginem, & Sanctos se gerebat, & quando vel ad ministrandum altari, vel ad percipiendum sacrosanctum Christi corpus accedere solebat, tanto animi affectu, talique devotione se præparabat; ut sæpe prorsus in terram projectus, lacrimisque perfusus, & diu in oratione detentus ignita e pectore efflaret suspiria, ac dein caritatis flamma succensus enixe Deum precaretur, ut se vel tanto ministerio, vel tam excelso sacramento dignum sua misericordia redderet.

III. Inter tot autem, tantaque pietatis opera non destitit Dæmon, Deo sic permittente, in exercitium virtutis, quæ in infirmitate, turbatione, & certamine magis magisque perficitur, eum exagitare procellis, iniquis cogitationibus turbare, assiduis tentationibus concutere, conscientiæ scrupulis stimulisque refricare, quibus noctuque, diuque commotus, atque interius, exteriusque afflictus, intimo Dei timore continuo quoque stimulatus, diuturna, & incredibili spiritus desolatione fere ad mortem usque mira constantia tulit animæ cruciatus, omni agone duriores. Hac de causa Presbyterio inauguratus, dum potissimum ad venerandum sacrificium peragendum accedebat, nimio timore, & anxietate perculsus, vultu, & corpore mutatus, totis artubus contremiscere videbatur: pluries per diem ad Sacrosanctum Pœnitentiæ sacramentum accedebat, semper de peccatis anxius, & de sua salute minus tutus; hinc sese omnium miserrimum & ad omnia ineptum existimabat. Quare, tametsi ob egregiam sui ingenii indolem, obque non mediocrem in rebus cum philosophicis, tum theologicis eruditionem a suis Prælatis ad primam in Provincia Philosophiæ cathedram imperio, & vi promotus fuerit; ipse tamen summa animi abjectione se se neque hilum reputans, precibus, lacrymisque suos Superiores exoravit; ne tantum oneris suis humeris imponerent.

Utque id ei ex voto cessit non solum cathedras omnes, verum & omnes gradus, & omnem vocem, & quidquid in ipsa Religione honoris, & commodi consequi unquam posset, constanti animo prorsus recusavit. Hisque solutus vinculis, ut sibi, suæque æternæ saluti posset omnino consulere, quamquam prius in suo S.Petri Martyris Cænobio aliquot annos, sibi tantum relictus, iisdem pietatis exercitiis vacans degisset; tamen ut suo anxio, & anhelanti spiritui satisfaceret, utque Jesu Christo tantum commodius viveret, ad rigidioris observantiæ Cœnobium S. Birgittæ de Pausylippa villa, superioribus annuentibus ad regularem disciplinam exactius custodiendam celeri convolavit pede. Heic veluti columba in foraminibus petræ absconditus, annos quatuor, & viginti, quibus inter vivos fuit ad suam turbatam sedandam conscientiam, & ad suum nimium timorem temperandum orationibus, jejuniis, vigiliis, & pœnitentiis pœne incredibilibus, nec non assiduis caritatis cum in Deum, tum in proximum exercitiis, vitam omnino deditam, intentamque egit.

III. Numquam e Cœnobio, nisi necessitate, obedientia, aut caritate urgente egrediebatur, & numquam extra cellam, nisi vel ad chorum ad Dei laudes persolvendas, vel ad communia officia exequenda visus fuit. Omnium, adhuc Religiosorum vel exactissimam conversationem vitare satagebat, & silentii observantissimus, nec verbum quidem in locis sua regula vetitis umquam proferre ausus fuit. Incredibilis fuit pœnitentia, qua innocuum suum corpus, quod veluti inimicum reputabat cruentis flagellis, ferreis catenis, & acerrimis ciliciis cruciabat; continuo quoque jejunio, bis, aut ter in hebdomade pane tantum, & aqua adhibita & quotidie uno tantum vel vilissimo pulmento contentus macerabat; assiduis vigiliis, quibus non modo ad matutinas laudes primus omnium surgebat, verum & ante, & post matutinas preces per plures horas orationem in Ecclesia protrahebat, affligere quotidie conabatur. Neque his satis contentus, novos semper se cruciandi modos excogitabat, & dum vel corpori suo brevissimum largiebatur somnum, vel suo spiritui recreando diuturnas orandi protrahebat moras, id suppositis genibus, dum orabat, vel toti suo corpori dum dormitum ibat, sacculis lapillis, aut testaceis plenis peragebat. Hinc in genua tumores, folliculive pergrandes erupere, quibus, curandis sæpenumero spissas acerbasque incisiones lubenter hilariterque sustinuit. Ac tantum se abjiciebat; ut non alio nisi fratris gloriaretur nomine, & dum vel leviter aliquem se offendisse putabat, statim provolutus illius pedibus veniam petens, se se projiciebat. Qua vero nimio fervore totus in Deum trahebatur animi dilectione, & caritate; eadem in pauperes totum se diffundebat, ac tantum uno sibi retento pulmento ad prandium, cibaria omnia propriis manibus quotidie mane pauperibus elargiebatur, uti & una sibi servata interula atque habitu, quidquid vestimentorum, vel suppellectilium superfluum erat, illis ministrabat; itaut omnium voce *Pater pauperum* diceretur. Id agens, hisque, & nobilioribus aliis semper intentus caritatis exercitiis, quamvis continuo a Dæmone exagitatus, & conturbatus, gloriosum semper de suis hostibus reportavit triumphum: eidemque timenti Dominum non occurrerunt ab inimicis mala; sed Deus illum incolumem servavit, & ab omnibus Dæmonis liberavit angustiis.

IV. Tantus hic Vir ad extrema tandem devenit, non naturæ infirmitate, sed Deo disponente in majus suæ virtutis experimentum, & gloriam, ex insperato casu, quo quadam die a Dæmone forsan majore impetu afflictus, præceps per scalas corruit, & toto corpore concusso, fractionem in brachiis subiit; unde recubans, cum iterum necopinus e lectulo procidisset, capite contusus, brevi hora interposita idibus Februariis anno 1754. prope meridiem dum ætatem annor. 61. mens. 2. & die-

rum 12. ageret, obiit inter lacrimas ſuorum, quibuſcum ſacras preces, & Deiparæ Roſarium recitabat, fixis in Chriſti imaginem, quam manu tenebat, luminibus, animique affectibus. Id tamen ei prodigium ad extrema devenienti accidit, quod cum toto fere ſuæ vitæ curriculo furiis Dæmonum agitaretur, paucis ante obitum dies, ut fertur, Dæmonem, veluti fulgur, præcipitem a ſe procul abire, atque evaneſcere vidit, & in tanta ita remanſit pace anima ejus diu exagitata, ut in ultimo agone a Prælato rogatus, ſi ei aliquid opus eſſet pro ſui æterna ſalute, facile reſponderit: *in pace factus eſt locus meus, in pace, in idipſum dormiam, & requieſcam*. Revera in pace Chriſti requievit anima ejus; idque ex eo maxime intelligi potuit, quod dum ejus cadaver de more in Eccleſiam efferretur, turba pauperum ex inſperato illuc confluit magno clamore, & ejulatu, amiſſum Patrem clamitans, ejuſdemque veſtium particulas excerpens. Quo factum eſt, ut ejus fama per ora omnium incolarum, magno ſui deſiderio relicto, volitaverit.

FR. DALMATIUS LIPPUS.

ANno 1710. Neapoli in lucem prodiit Pater Frater Dalmatius Lippus, Sacræ Theologiæ Lector ex illuſtri, atque honeſto genere, Vir plane Angelicus, ac Apoſtolicus, præcipue præſtans flagratiſſimo amore in Deum, præſertim infantem in ſtabulo, & abſconditum in Euchariſtiæ Sacramento, atque incredibili caritate erga proximum ſuum, quem morum innocentia, ſpiritus ſuavitate, & ſtudio diſciplinæ, verbo, & exemplo, curis omnibus, dignitatibuſque poſthabitis, præcipue apud Vicum Equenſem, ac Sejanum, laboribus indefeſſus excitando ac excolendo, dulciter & ſuaviter ad Chriſtum traxit, atque Virgines non paucas Mundo eripuit, & cæleſti ſponſo ſacravit; ex quo illorum populorum vere Apoſtolus dictus fuit, ibique obiit magna & gloria, & fama cumulatus, ubi incredibiles labores, ſudoreſque non paucos pro Chriſto, Chriſtique fidelibus ſparſit. Hic in ſæculo degens pietatis operibus, Chriſtianæque perfectionis exercitiis prorſus addictus, adhuc puerulus vitam adeo rectam duxit, ut provectioribus ipſis exemplar eſſe potuerit, & norma. Vigili potiſſimum cuſtodia inter ſæculi blandimenta atque pericula ſuæ puritatis candorem, ſuorumque morum innocentiam adeo caute cuſtodivit; ut & conſuetudines feminarum, ac ſcurrilium juvenum, & prava colloquia, & corporis vanitates, nimiaſque delicias prorſus abhorruerit, & ſacra ſolum frequentare, atque conſuetudinibus bonorum intereſſe ſacrum ſemper, & ſolemne habuerit. Evangelicæ ſimplicitatis, & prudentiæ fuit omnino tenax, itaut conſilia adhuc Evangelica adamuſſim cuſtodierit, fueritque ſimplex veluti columba in moribus, & prudens veluti ſerpens in rebus ſuæ animæ agendis. Humanioribus deditus litteris, & philologicis diſciplinis, ita cum ſtudio pietatem, & orandi fervorem conjunxit, ut ſibi unice vacans, & doctrinæ, ſe & pro ſua, & pro aliorum ſalute idoneum reddiderit.

II. Ad tertium pertingens luſtrum, ſæculum, ejuſque pompas, animo faſtidiens, ut ab omni terrena cura alienus Deo poſſet affatim toto vitæ curriculo inſervire, ad Cœnobium S. Dominici Majoris de Neapoli ad induendum Religionis habitum perrexit, convolavitque. Inibi a primoribus Provinciæ Patribus ad Religionem libenter adlectus, atque inter alumnos Cœnobii SS. Roſarii de Neapoli adſcriptus, ab iiſdem de more ad Cœnobium S. Birgittæ de Pauſilyppo ad annum probationis miſſus fuit Nonis Octobris an. 1726. In tirocinio ardentiori S. Spiritus igne ſuccenſus in virtuti-

tutibus, quas adhuc in sæculo puerulus coluerat, mire profecit, & ad nobiliora charismata semper adspirans, regulari disciplina ad amussim custodita, divinæ caritatis ferventiori æstu impulsus, ad tam nova, & grandia sanctimoniæ incrementa devenit, ut omnibus suis coævis adhuc tiro exemplo esse posset. Expleto autem probationis anno votisque solemnibus emissis, Philosophiæ, ac Theologiæ studiis addictus, in iisdem, tametsi sedulus, promptusque fuerit; a perfectioris vitæ tamen semita haud declinavit; quin ex Divinarum litterarum scientia magis illustratus, magisque ex cælestium mysteriorum notitia inflammatus, ad talem, tantamque devenit virtutem, ut Presbyter inauguratus, atque completis cum Neapoli in suo Sanctissimi Rosarii Cœnobio, tum obtemperando suis Romæ in Cœnobio S. Mariæ ad Minervam de more Religionis scholarum studiis, quamquam a suis Prælatis consuetis Cathedris adscriptus, primas lectiones ex obedientia exactas expleverit; tamen alio a Divino Spiritu vocatus, gradus omnes, honores, dignitatesque emeritis viris Religionis statutos, in quibus se gloriam Dei minime noscere sæpenumero fatebatur, omnino abhorrendo respuit, suæ perfectioni, & Christianorum saluti sedulam semper magnamque navaverit operam.

III. Eapropter ut idoneum se redderet Sacrosancti Evangelii Ministrum, toto animo Evangelicas ipsas virtutes, perfectionesque spiritu semper colere studuit. Puritatem inprimis, quam sibi ab ipso rationis usu prorsus sociaverat, tam arcto fœdere sibi copulavit ad obitum usque, ut vigili semper custodia quidquid illam vel leviter lædere potuisset omni conatu vitaverit: quare neque sensus illecebris, neque Dæmonum artibus, neque illecebrarum stimulis potuit umquam ejus animus vel minima cogitatione maculari; obque id summa industria, & jejuniis, & vigiliis, & ciliciis, & ut creditur, etiam cruentis flagellis corpus suum spiritui omnino subjicere studuit. Regularis quoque observantiæ tenacissimus custos, numquam vel in maximis suis laboribus vel in diuturnis, molestisque valetudinibus, nisi maxima urgente necessitate, & Superiorum imperio accedente, sede legum observatione solvit: sed jejuniis addictus, ceterisque Ordinis rigoribus, sanctas leges & laudabiles quoque consuetudines nimia severitate admussim custodivit. Paupertatis itidem fuit amantissimus; nulli umquam temporali lucro, aut rei caducæ animo adhæsit, qui sibi thesaurum statuerat non defuturum in Cælis: utque in sanctum, perfectumque holocaustum se totum Deo, uti devoverat, offerret & manciparet, obedientiam ita quoque coluit, ut propria voluntate prorsus subacta Superiorum dictis parere, & ab eorum imperio, nutuque pendere semper sacrum, & sollemne habuerit. In orationibus, librorumque piorum lectionibus, inque meditationibus assiduis, aliisque piis exercitationibus semper intentus, frequentes, atque nobiliores semper in corde suo ascensiones quotidie disponebat. Erga puerulum Jesum, humanitatemque Christi, & erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum fuit ita devotus, ut hæc duo sublimia Religionis nostræ arcana noctesque, diesque semper corde, & mente voleret. Solemnioribus diebus, in quibus hæc misteria annua memoria ab Ecclesia celebrantur ita intimo fervebat amore, ut vultu irradiato, & accenso, & corpore prorsus mutato extra se rapi videretur; & fere exanimis amore langueret. In sua cella, imo potius in sua ædicula sæpenumero clausus, sibique relictus, ante imaginem infantis Jesu vel in stabulo, vel in cuna jacentis totus profusus lacrimis, totusque inhians suspiriis, jugiter frequenterque orabat, & quotidie dum vixit, ad templa æstuanti pede pervolabat, ubi sacra hostia po-

puli

puli venerationi exponebatur, ibique per plures horas flexis genibus, & veluti in ecſtaſim raptus, ſuum abſconditum adorabat Dominum, ſingulisque noctibus ad ſecretum ſacellum fratrum ad diviniſſimum Sacramentum per plures, pluresque horas adorandum, ſe clam conferebat, & unice id in deliciis habebat, per diem ſedulam navare operam ad ornandas pueri Jeſu imagines, quas dein, ejuſdem amorem inculcando, ſemper devotis fidelibus diſtribuebat. Dum autem ſuo ſanctiſſimi Roſarii Cœnobio ad biennium ſumma cum prudentia, & caritatis laude, nec minori diſciplinæ regularis incremento præfuit, id potiſſimum optabat, idque aſſidue inculcabat, ut ſacerdotes de ſua familia omni devotione, & reverentia, omnique præparatione, & gratiarum actione incruentum Miſſæ Sacrificium quotidie celebrarent; ad hæc autem dum omni conatu invigilabat ipſe, eadem ſacra peragendo, tanto erat caritatis æſtu flagrans, & exæſtuans, ut in adſtantes devotionem maximam, & Dei amorem inſpiraret; imo & pluries lacrimas copioſas excitaret. Magna quoque in Deiparam Virginem ferebatur obſervantia, ac pietate, nulla ut de re frequentius ac jucundius verba ad populum faceret, quam de illa Roſarii precibus veneranda, erga quam cunctos dignis eloquiis vehementer accendebat, obque id ſuo conatu in templo ſui Cœnobii perpetuo ſtatuta fuit laudabilis conſuetudo recitandi quotidie primo mane a convenientibus populis in cultum Beatæ Virginis ſolemniter Santiſſimum Roſarium. Sic itaque mente ſemper in Deum intentus divina caritate exardebat, ſemperque in preces effuſus ad virtutum incrementa, ad animi puritatem, atque ad nobiliora chariſmata contendebat, proficiebatque in via Dei.

IV. His itaque cumulatus virtutibus, qui totus per caritatem erat Deo repletus, per eandem totum ſe ſe diffudit in proximorum ſalutem procurandam; quare Prælatis annuentibus ad Vicum Equenſem, prope Neapolim in Cratere, ſeu in ſinu Campaniæ, qui Puteolanus vocitatur, inter Miſenum, & promontorium Minervæ ſitum, atque ad proximum Sejanum, & viciniores regiones, quo frequenter ad levandum animum valetudinis ergo adire ſolebat, a Deo ad Apoſtolicum munus vocatus, ibi animo, quo æſtuabat, se totum proximorum utilitati ſingulis horæ momentis conſecravit.

V. Non tempori, non laboribus, non valetudini, qua ſæpe laborabat, unquam pepercit, ſed ſpiritu Dei actus vicos, plateaſque circuibat aſſidue, & in excipiendis confeſſionibus, in proponendo, veluti indefeſſus Evangelii Præco, Chriſti verbo, in erudiendis Chriſtiana doctrina rudibus, imperitiſque, & in dirigendis potiſſimum informandiſque Chriſtiana perfectione animabus, quo plurimum valuit, continuam navavit operam; quare ſermonibus, conſiliis, confeſſionibus, epiſtolis, concionibus, aliiſque demum operibus ſe ſe populis illis ita impendebat frequenter, ut illorum amorem, & venerationem in ſe totam traxerit; unde a ſuo ore veluti ab oraculo omnes pendebant; propterea facile potuit odia illorum extinguere, & conciliare fœdera, contentiones reprimere, pacem ſpargere, avaritiæ famem compeſcere, carnis ſtimulos reprimere, & ab illis vitia omnia fugare, illiſque virtutes, quas intimo geſtabat pectore communicare. Inde præſertim facile potuit viros complures ſimul in unum congregare ad debita infanti Jeſu, divinoque Euchariſtiæ Sacramento obſequia præſtanda, atque ad Sanctiſſimi Roſarii preces in obſequium Deiparæ frequenter recitandas. Indeque non paucas virgines e ſæculari conſuetudine ad perfectionis frugem traxit; eaſque mundo rapuit et Chriſto devovit, & per rectos ſalutis tramites mira caritatis ſuavitate, frequentibus adhortationibus, & Sacramentis direxit, fovit, nutrivit.

His

VI. His itaque Apostolicis laboribus, aliisque pœnis pluribus annis gravatus et meritis onustus, cæloque maturus, ad finem tandem suæ peregrinationis non sine præmio, ac triumpho, nec sine bravio pervenit. Ut autem magis purgatus, magisque decorus ad cælestem evolaret coronam, diutina, ac gravi ita fuit valetudine detentus, atque a Domino visitatus; ut acerbissimas in membris incisiones, atque per ignitos clavos exustiones, quas hilari vultu, & constanti animo omnibus admirantibus excepit, sustinere fuerit compulsus. At tot inter dolores, & acerbissimas pœnas, quibus afflictabatur, lætus semper, semperque jucundus perseverans neminem a se ex confluentibus suis devotis, adhuc in extrema sua valetudine mœrentem umquam dimisit. Et accurrentes quotidie ad suum lectulum tot fideles sua opera ad meliorem frugem vocatos, totque suos spiritales filios, & alumnos nullo fastidio detentus, omnes caritate excipiebat, omnes amplectebatur, omnes in Dei amorem incendebat, & sanctissimis colloquiis ad majorem virtutem, virtutisque perfectionem urgentius excitabat; quo pacto consolabatur omnes, omnibusque satisfaciebat, quippe qui in fine dierum ardentius eos dilexerit, quos Dominus concrediderat ei. Qui autem toto suæ vitæ curriculo magna devotione prosecutus fuit Dominum in Eucharistica mensa repositum, tanto in extremis caritatis fervore, tantaque cordis jucunditate cœlestem panem tunc excepit, ut in omnes adstantes, & de sua salute, inhiantes intimam spiritus compunctionem, fervidas oculorum lacrimas, & calida suspiria excitaverit. Sacramentis itaque Ecclesiæ præmunitus, & de hoste antiquo, qui sciens modicum tunc tempus habere, non destitit omnes suas ad ejus animam turbandam adhibere artes, conatusque, glorioso reportato triumpho, locata in ejus conspectu infantis Jesu imagine, quam semper secum ferebat, & majori erga Jesum ipsum, ardentiorique caritatis igne succensus, cælestique visione, ut fertur ejusdem, parvuli Jesu recreatus, veluti columba præ amore gemens, & suspiria ex caritate emittens, optansque tunc dissolvi, et esse cum Christo, inter ejusdem infantis amplexus, et lacrimas suorum filiorum, qui ejulantes dicebant: *cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis?* eosdem interrupta voce, gestu, & nutu animans ad Dei amorem, *Jesum* et *Mariam* pronuncians, hilaris, et gaudens usque ad extremum, e valle plorationis ad æterna transiit Beatorum Regna, ut pie est credendum, postridie Non. Februarias hujus anni 1756. dum ipse ætatem annorum 46. ageret

VII. Statim ab obitu ardens Equensium, & Sejanorum multitudo illuc ad ejus feretrum confluit, ad ejus manus, pedesque deosculandos, atque ad ejusdem vestium particulas decerpendas, itaut ad omnium devotioni satisfaciendum biduo ejus cadaver insepultum remanere oportuerit. Tandem sollemni pompa, utroque accedente Clero, imo & loci Episcopo, omnibusque cujuscunque conditionis hominibus ex finitimis adhuc regionibus accurrentibus, ejus parentalia in Matrice Sejani Ecclesia, magnifico cenotaphio erecto celebrata fuere. Ejus corpus ex obedientia emisisse sanguinem post mortem ejus Confessarius testatur, & ejusdem reliquiis insignes operari curationes, aliaque præcipua in diem obtineri beneficia perhibent, testanturque Equenses, & Sejani. Gloriosum autem sepulcrum ejus, ne tanti Viri memoria in perpetuum interiret ævum sequenti inscriptione concurrentibus populis, atque demortui Consanguineis, fuit honorifice insignitum.

D.O.M.

D. O. M.
HEIC·IACET·CORPVS
PATRIS·DALMATII·MARIA·LIPPO
ORDINIS·PRAEDICATORVM
MORVM·INNOCENTIA·SPIRITVS·SVAVITATE
ZELO·DISCIPLINAE
ADMIRABILIS·ET·OMNIBVS·CHARI
QVI
PHILOSOPHIAM·AC·THEOLOGIAM·DOCVIT
SED·LAVREAM·NOLVIT
CVIVS
PROSECVTIONEM·PRÆDICATIONI·VERBI·DEI·POSTHABVIT
HVIVS
INDEFESSVS·PRÆCO·VICVM·EQVENSEM
AC·SEIANVM·PRÆCIPVE
PLVRIBVS·ANNIS·PAVIT·NVTRIVIT·EXCOLVIT
VIRGO·IPSE
PLVRIMAS·VIRGINES·MVNDO·RAPVIT
ET·IESV·CHRISTO·DICAVIT
QVEM
IN STABVLO·ET·SACRAMENTO·MIRVM·IN·MODVM
DILEXIT
ERGA·DEIPARAM
FILIALI·AMORE·FLAGRAVIT
DIGNITATES·NON·QVAESIVIT·SED·EXHORRVIT
QVEM·TAMEN·IVNIOREM
ADMIRATI·SENIORES·NON·SEMEL
SIBI·INVITVM·PRÆFECERVNT
INFIRMA·TANDEM·VALETVDINE·CONSVMTVS·LABORIBVS
FRACTVS·MORBO·DEIECTVS
CVRSVM
NON·CONSVMMAVIT·SED·ABRVPIT·PRÆCIDIT
ANNOS·NATVS XLVI.
QVOD·DEVS·PLACITAM·SIBI·ANIMAM
PROPERAVIT·EDVCERE
VIII. ID·FEBRVARIAS
AN·M·DCC·LVI.
LVGENTIBUS·OMNIBVS·SE·OMISISSE·VIRTVTVM·OMNIVM
EXEMPLAR·ET·MAGISTRVM
CVI
HOC·MONVMENTVM·SEIANVM·F. BASILIVS
ORD. EREM. S. AVGVST.
GERMANVS·FRATER·SORORESQVE
MM. PP.

SOROR MARIA URSULA MAYA.

STabiis Campaniæ urbe in ora ſinus Neapolitani ad radicem Montis Gauri mire inclaruit egregia Virgo Soror Maria Urſula Ordinis S. Dominici Tertiaria, quæ divinæ gratiæ donis præventa eximia præſtitit innocentia, virginali puritate, ſui ipſius, ac terrenorum contemtu, ſevera corporis caſtigatione, altiſſima rerum divinarum contemplatione, invicta in adverſis patientia, atque flagranti cum in Deum, tum in proximum amore, quo animarum potiſſimum amore exæſtuans, plurimos e vitiorum cœno ad meliorem frugem evocavit; ob idque innumeris a Deo fuit donis, & chariſmatibus cumulata.

II. Hæc VI. Calendas Aprilis anno æræ Chriſtianæ *1689.* ex honeſtis, piiſque conjugibus Ignatio Mayo, & Iſabella Planeſia orta, atque ab ætate prima prævenientis gratiæ luminibus illuſtrata, & fervoribus divinis accenſa ultra ætatis, & conditionis modum Deum impenſe diligendo non obſcura exhibuit altiſſimæ futuræ perfectionis argumenta; tunc enim, quamquam puella, viſa fuit omnes mundi vanitates a ſe ablegare, conſuetudines minus ſanctas aufugere, innocentiam caute cuſtodire, & ſolitudinis, ſilentii, jejunii abſtinentiæ, orationis, pœnitentiæ, ceterarumque virtutum ſtudioſiſſima, in laboribus tantum, & ærumnis Deo tantum intenta, non ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti ſunt, enixe quærere. Poſthac creſcens ætate, mire in virtutibus quoque creſcendo, *viam mandatorum Dei, dilatato corde feſtinanter currere* conata eſt; avidiſſime cupiens ſeſe totam Chriſti cruci affigere; totumque ſuum ſpiritum in Deum cruci affixum transformare, ſecundum Domini evangelicum monitum, in primis omne ſuæ voluntatis arbitrium prorſus abnegare, & aliis ſubjicere ita ſtuduit, ut ſumma obedientia a ſuorum, & Confeſſarii nutu omnino pendens, ne alimentum quidem ſumere, vel quidpiam aliud agere, niſi ex obedientia, ſacrum ſemper & ſollemne habuerit. Firmo hoc perfectionis fundamento, Chriſti crucem deinceps provectior lætanter bajulare, & Jeſum ipſum Servatorem libenti animo ſequi omni tempore ſategit. Jugi, & altiſſimæ contemplationi adeo ſemper, & impenſe addicta fuit, ut nedum noctes fere integras in ea vigilaverit, & plures & pluresque horas ſeu in Eccleſia Fratrum Prædicatorum, Sanctæ Crucis Stabiis dicta, quam frequenter quotidie mane, & diebus feſtis adibat, ante altare flexis genibus, & ſenſibus deſtituta, vel toto corpore humi proſtrata; ſeu domi ante imaginem Chriſti Cruci affixi diuturne oraverit; verum & orandi ſtudium ita familiare ſibi reddidit, ut mente ſemper in Deum, & res divinas, ac potiſſimum in Jeſu Chriſti paſſione contemplanda elevata omni hora, ſeu converſando, ſeu ambulando, ſeu quieſcendo, ſeu laborando, ſeu quidpiam aliud agendo extra ſe poſita orare, & aſſidua Dei præſentia, ac conſuetudine frui videretur. Exinde ob ſublimem, quam habebat ſummæ Dei Excellentiæ, ſummæque ſuæ vilitatis cognitionem, profluxit rara illa humilitas, ſuique contemtus flagrantiſſimum deſiderium, quo ſe viliſſimam Creaturam omnibus nequiorem ſemper reputans, & ad omnium pedes ſeſe frequenter lubenti animo dejiciebat, ſive veniam petendo, ſi forte quempiam in aliquo ſe vel minime offendiſſe cogitaſſet, ſive omnes exorando, ut pro ſe abjectiſſima femina ad Deum aſſiduas funderent preces; & ad viliſſima quæque miniſteria cum domi, tum alibi ſeſe frequenter addicere maximo ſibi honori putabat. Hinc contemtus, irriſiones, ludibria, injuriæ, atque ejectiones ſibi frequentius, Deo permittente, inflictæ, quas ſem-

per æquo lætantique animo, ac hilari vultu excipere consuevit, maximis ei in deliciis erant. Eadem de causa adversa omnia, quæ vel mundi industria, vel Dæmonis arte ei quotidie accidissent, invicta patientia, constanti pectore, & æquo animo semper sustinuit. Nulla neque calumnia, neque persecutione, neque angustia, neque contradictione a suis, seu ab aliis ei inflictis umquam irascebatur; sed æquo semper animo, hilarique vultu omnia ita excipiebat; ut ea in sui maximam adscribendo gloriam: ne dum suavissimis verbis summas ageret grates pro malefactis; verum & pro iisdem beneficia, qua poterat, & copiosa munera elargiretur.

III. Eodem invicto animo quadraginta & amplius annos, diuturnos, acerrimosque sustinuit in suo corpore cruciatus omni morte acerbiores: Speciatim vero in pedibus acerbissima ossium carie pressa est, qua ita adflicta fuit, ut diversis temporibus inter extremos dolores vi, & ferro abscissionem, & avulsionem omnium ossium digitorum immoto animo toleraverit; obque deinceps e pedibus semper copiosum sanguinem emittendo, liberam gradiendi facultatem ita amiserit; ut ad mortem usque, nonnisi inter spinas, & novacula acuta incedere & ambulare ei videretur. Verum tot inter tormenta, & pœnas, etsi corpore adflictaretur, intimo tamen spiritu & corde nimium gaudebat; eoquod in suo corpore experiretur vulnera, & cruciatus Domini Cruci affixi, cujus passioni, & voluntati unice conformata, id unum semper ore promebat, *se libenter pati velle, & mori pro Christo*. His autem minime contentus ejus spiritus, ad hisce acerbissimas pœnas sibi a Deo inflictas ad suum innocuum omni conatu extenuandum corpus, adque spiritui prorsus subjungandum adjecit Fœmina invicta severissimam, & pæne incredibilem & voluntariam pœnitentiam. Domi degens elegit sibi in remotiori parte abjectissimam zotheculam, ubi abscondita sibique relicta continuo morabatur. Heic quotidie latitans seu laboribus, seu orationibus unice dedita, & *veluti columba gemens in caverna maceriæ*, assidue, se se indignissimam peccatricem reputans, peccata, quæ commisisse credebat, deflere consuevit. Cum autem sibi continuum indixisset bellum, asperis cruentisque flagellis non semel in die adplures horas protractis se se adflictabat, ferrea catena, ciliciisque lumbos, & brachia circumjectis, carnem suam cruciabat. Continuo jejunio, & abstinentia rara, non modo duas integras quadragesimas a die Cinerum ad Pentecosten usque pane, & aqua quottannis peragere consueverat; verum etiam singulis diebus uno pane adhibito, vel leguminibus, victum transigebat, & sæpe panem absynthio consperso, & tam exiguam aquam, qua ne sitim quidem explere posset, adhibebat. Nunquam carnium, cibique, aut potus opipari usum tenuit, nisi ad extrema vitæ deveniens, valetudine compellente, ex Medici præscripto. Corpori soporis parum satis dabat; atque non alibi, nisi humi, aut tabulis obsoletis, non sine molestia recubuit. Quod cum ageret omnes mundi illecebras, omnesque Dæmonis tecnas, sensusque stimulos facili negotio eludere potuit. Hisque suffulta virtutibus, postquam hæc rectissima ejus vitæ ratio ad quadraginta prope annos satis superque probata esset, habitum tertii Ordinis S.Dominici, jubente Confessario, libentissime suscepit, ejusque institutum, emisso perpetuo castitatis voto, professa, illud secundum statutos Canones adamussim perpetuo ita servavit, ut revera S.Dominici Filia videretur, & esset. Novo itaque induta habitu, novo flagrantissimo fervore in Deum, proximumque, cor suum magis magisque æstuare sensit; quo adeo Deo adhærebat, ac si Beatorum vitæ æmula, nec parumper animum suum a Deo alienaret. Tanto præsertim in Eucharistiæ sacramento flagrabat ardore, ut in illo adoran-

rando per plures horas vel humi projecta, vel in ecstasim rapta diuturne moraretur; & dum ad sacram Mensam fere quotidie accederet, adeo erat amore concussa, ut mutato vultu hians, anhelansque, atque veluti flammas emittens ad cælestem panem suscipiendum adiret. Hoc quoque ardentissimo caritatis ardore Virginem Deiparam & sanctissimum suum Patrem Dominicum speciali cultu prosequabatur, Virginem continenter salutando per verba *Ave Maria*, eidemque psalterium salutationum pluries in die recitando; aliosque Sanctos sibi addictos venerabatur. Ex hoc immenso luminum fonte tot hausit illustrationes, charismata, & dona, ut quamvis esset rudis Fœmina de sublimioribus nostræ Religionis Mysteriis, mirantibus adhuc sapientioribus Viris, qui etiam ab ejus pendebant ore, ejusque lubenter utebantur consiliis, edissere valeret. Ex hoc etiam artem edidicit dirigendi animas ad Beatorum iter, quarum non paucas consiliis, monitis, divinisque colloquiis mirifice instruxit.

IV. Ex hoc tandem emersit summa illa erga proximum caritas, qua potuit cum ejus spiritali, tum corporali vitæ opportunius semper prodesse. Nam & suorum incolarum salutem æternam præceptis, & adjumentis, quibus potuit ita sategit, ut frequenter in dies, domos, & plateas circuiret, sedando rixas, componendo discordias, statuendo fœdera, subveniendo afflictis, excitando peccatores, eosque miris dictis, & factis ad meliorem frugem revocando, & eorumdem corporis necessitatibus semper eadem caritate præsto esset. Ad omnes infirmos accita velociter accurrebat, quorum ulcera, & plagas lambere non fastidiebat, vi morbi afflictos consolabatur, & morti jam proximos benigno animo adesse consuevit, aliasque opera mirifica adeo egit, ac si omnibus omnia facta esse, & omnium bono nata videretur. Nobilia hæc inter facinora immaculatum suæ primæ innocentiæ nitorem perpetuo ad mortem usque conservasse, Confessarii perhibent. Tantis hisce virtutibus cumulata & meritis, & annis onusta, jam extremum sui obitus diem adesse præscivit, & suo Confessario, a quo veniam in vitam æternam petens, & aliis, qui eam colebant, nonnullos ante dies nunciavit, & elapso anno 1755. in majori Hebdomada, dum dolorum Christi memoria excoleretur, & ipsa doloribus perculsa, iisdemque omnibus, quos in anteacta vita experta fuerat, simul tunc majori impetu in ejus corpus irrupentibus, quæ toto vitæ curriculo Christi Cruci affixam vitam egit, in extremo, Christi quoque tormenta experiri digna fuit. Quibus consumta ante Crucifixi imaginem & B.Virginis; quam semper sancte excoluit veluti in ecstasim rapta inter lacrimas & consanguineorum, & suorum Civium domum suam turmatim confluentium, diem in osculo Domini obiit supremum. Statim post obitum accursa civium caterva particulas ejus vestium excerpere conabatur, ejus corpus comitante populo ab Canonicis Cathedralis Ecclesiæ tumulatum fuit apud PP. Prædicatores. Pluribus post mortem apparuisse, & plurima prodigiosa beneficia contulisse fertur.

SOROR BEATRIX FERRARIA.

IN Prochytes Insula, quæ est in Mari Tyrrheno ad oram Campaniæ in sinu Puteolano, inter Neapolim, & Æenariam Insulam sita, Diœceseos Neapolitanæ, floruit Soror Beatrix Ferraria, quæ ex singulari erga Christi Domini passionem devotione, cum ab infantia palam canere consuevisset carmen quodpiam de Christi doloribus sub nomine D. Birgittæ, ab omnibus, dein mutato

tato nomine, Soror Birgitta nuncupata fuit. Optima hæc Virgo ex honestis utique, sed pauperrimis parentibus orta est elapso sæculo, qui a primis unguiculis non mediocrem de illa curam habuerunt, eamque ad infantiam usque perduxerunt primam. At dein indigentia, imo ægestate nimium urgente, eam, quamvis dilectam filiam, publica in via, omni humana destitutam ope, dereliquere; & omnino deseruerunt. Hoc autem altissimo Dei consilio factum est; nam Omnipotens rerum omnium Rector, qui præcipua Sapientia variis, sed miris modis animas in sui dilectionem erigit, statuitque, ac, testante divino Oraculo, *Electos suos vocat nominatim*, eosque speciali dirigit, providentia gubernatque, quoniam eam ab omni humana cura secretam prorsus, sibi suæque caritati unice addictam decreverat; sapientissime disposuit permisitque, parentes hoc pacto prorsus dereliquisse eam, ut Dominus ipse in unicam sui tutelam eandem assumeret. Hac de causa Dominus utique excepit eam, qui rem ita disposuit, ut prius comiter a pia quadam muliere reciperetur, & posthac a quodam patrio Presbytero pia miseratione commoto, domi nutrienda, & educanda veluti filia acceptaretur. Huc Puella Dei ductu recepta, quoniam altiora petebat, statim cœpit heroicis inclarescere virtutibus. Quamvis ab omnibus uti filia reputaretur, ipsa tamen se omnium humillimam existimabat famulam: quare, qua poterat, omnibus familiaribus continenter inserviebat, omnes excipiebat, omnes amore, & famulatu prosequebatur, & ad vilia quæque, & contemtibilia domestica munia, adhuc absque imperio, manum festinanter admovebat. Eapropter noctuque diuque parum sibi quietis permittendo, familiaribus exercitiis vacabat. Inter hæc autem divina opitulante, & excitante gratia spiritum suum, animumque a Dei amore, & consuetudine minime retrahebat; sed corpore terrenis dedito, corde sollicite cælestia prorsus quærebat. Divina semper Mysteria mente volvebat, & potissimum Jesu Christi dolores magno animi angore perscrutabatur, & dum suis heris præstabat obsequia, se Deo, & Sanctis famulari cogitabat; & quidquid temporis a domesticis curis subripere poterat, id precibus, meditationibus, arbitrariis castigationibus, aliisque sacris officiis tribuebat; unde omnibus sese heroicarum virtutum exhibebat exemplar. Hinc omnium sibi ita captavit amorem, ut Presbyter ille, qui eam domum exceperat, assiduas Deo rependeret grates, qui tam sanctam, tam piam, tamque heroicam sibi, suisque elargitus fuisset Puellam.

II. At permittente Deo, qui eam sibi, suæque tantum cruci affixam disposuerat, inter tot, tantasque pacis, & amoris tesseras *inimicus homo superseminavit zizania*; nam Presbyteri fratria, diabolica in Puellam percita suggestione, & invidia, eam, turbato prius corde, & torvis oculis inspicere cœpit, iratis verbis eam alloqui, inurbanis, agrestibusque moribus in eam se gerere, continenter studuit, & deinceps livore magis accensa innocentissimam puellam frequenter in diem verberibus adfligere, duris contumeliis onerare, & fustibus cædere ita non destitit; ut etiam vel minimum ejus verbum redargueret, & adhuc Christiana, & heroica ejusdem opera objurgaret. His itaque adflictata adversis, & Dæmonis contentionibus, nihil turbationis excepit cor ejus, imo potius in tribulatione gaudens, hilari semper erat vultu. Ad pedes Dominæ, præsertim dum maxime angebatur, sese ad veniam projiciebat, ejusque deosculabatur pedes, pro illa assiduas effundebat ad Deum preces, eique perennibus humilitatis signis sese devictam magis magisque exhibebat; nec inde placatior irata mulier; in eam diuturnum, illudque acerrimum per plures annos ad mortem usque Viri, & Leviri sui, intestinum protraxit bellum.

III. De-

III. Defuncto tandem Presbytero, qui illius præcipuam gerebat curam, ad S. P. Dominici, quem a prima infantia sibi Patronum delegerat, patrocinium confugit; illumque præcipue enixis deprecata est precibus, lacrimas inter, & suspiria petens; ut sibi benigne manifestare dignaretur, quid ei in hac extrema sua angustia esset agendum, ut heroicis posset semper florere virtutibus, & celeri gressu in Dei amore, atque superni Regni via festinanter procederet. Illi, ut Confessarius testatur, se conspicuum præbuit exoratus Sanctus Pater, illique altissimum Dei consilium aperuit, velle Deum nempe, ut ipsa, omnibus rejectis mundanis humanisque curis, divino solum vacaret servitio, & cælestia tantum intenderet; quare eam admonuit, ut relicta Dominæ aula, in remotissimam arctissimamque se reciperet cellulam, ad divina dumtaxat munia tractanda, & cælestia officia unice peragenda. Statim, quod monuit exoratus Pater, consulto Confessario, executioni mandavit prudentissima puella, quæ totam in Dominum jactavit curam suam, qui ei non dedit fluctuationem animæ omnibus diebus vitæ suæ. Egressa igitur de domo domini sui, invenit sibi in remotissimo Patriæ angulo quampiam cellulam, in quam ferventi spiritu se recepit, veluti columba in foramina petræ, ad tantum cælestia & divina perquirenda, caducarum omnium rerum curis abactis. Imperio Confessarii in obsequium Sancti Patris, habitum S. Dominici recepit, & perpetuæ castitatis voto in manu Confessarii emisso omni cordis adfectu, se totam veluti sponsam, in perfectum absolutumque holocaustum Deo devovit, & novo habitu induta novam, perfectioremque ad mortem usque sibi constituit vivendi formam.

IV. Quotidie primo mane festinanter ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum, quæ inibi nomine D. Margaritæ Virginis insignitur, celeri pede convolabat; ibique ante altare ad plures horas genuflexa intimo cordis adfectu divinissimum adorabat, ac venerabatur Sacramentum, incruentis sacrificiis adsistebat, Dei verbum frequenter audiebat, ad salutare pœnitentiæ lavacrum raro, & ex obedientia, tunc tantum accedebat, dum sibi quidpiam ad conscientiam moderandam occurrebat, & omni fere die ex Confessarii præscripto cælesti Angelorum pane reficiebatur: deinceps vero cælestis sponsi dulcedine recreata ad alias horas superna mente volvendo beneficia, maximas summo Deo pro se, aliisque hominibus tanto Sacramento dignato, flagranti spiritu retribuebat grates. Talique pacto novo semper divini amoris æstu succensa mente ad Deum elevata domum redibat, ubi manualibus laboribus ad quotidianum cibum sibi captandum per alias diei horas tribuebat, & posthac brevissimo, eoque vilissimo sumto cibo ad suam tantum sustinendam vitam, iterum ad Templum ad Dominum suum invisendum se gerebat, quicum ferventibus colloquiis, aliisque æstuantis amoris actibus saltem ad horam spiritum suum reficiebat, & resumta domo, reliquum, quod supererat temporis, totamque noctem, brevissima vix quiete, & somno vel duris cubans asseribus, vel congestis lapidibus, vel nodosis fustibus male compositis corpori suo indulto, jugibus meditationibus, severioris pœnitentiæ officiis & colendis Deiparæ Virgini, aliisque sanctis suis Patronis aut Sanctissimo Rosario, aut aliis precibus impendebat. Hæc fuit illi constans vivendi norma, quam ad mortem usque ad amussim semper quotidie servavit.

V. Haud tamen facile dictu est ad quem exinde in omni virtute brevi pervenerit perfectionis gradum. Ejus Fides in primis tam erat egregia, & operosa, tamque viva, ut pro quolibet ex Divinis Mysteriis a Deo Ecclesiæ revelatis, & ab Ecclesia Christi fidelibus propositis, ardentius, ferventiusque optaret sanguinem inter crudelissimos quosque cruciatus effundere, & vitam dare. Inhiabat arden-

ardenter omnes de mundo evellere hæreſes, omneſque gentes in infidelitate detentas in admirabile lumen Chriſti perducere, pro quo aſſiduas ad Deum effundebat preces. Sicque pro fide æſtuabat, ut ſi ei datum fuiſſet, una in Univerſum perrexiſſet mundum ad prædicandum omni Creaturæ Jeſu Servatoris Evangelium. Quamvis autem Satan pluries in ejus mente excitaverit adverſus Divina Eloquia cogitationes iniquas: ipſa tamen ad illius compeſcendas, & eludendas fraudes, frequenter Apoſtolorum Symbolum recitabat, quo clypeo, & armatura fidei facile ei erat, omnes tenebrarum repellere poteſtates. Hinc promeruit a Domino inter intima colloquia audire, ſe apud Altiſſimum inveniſſe gratiam propter fidem, & ipſa frequenter dicere conſueverat, ſe, quidquid vel in ſui, vel in aliorum utilitatem a Domino quæſiverit, merito fidei omni tempore obtinuiſſe. Eximia ex hac Fide profluxit firma illa ſpes, qua ſecundum monitum Apoſtoli ad Roman. 5. *gloriabatur in ſpe gloriæ filiorum Dei, gloriabatur in tribulationibus, ſciendo, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero ſpem*. Etenim Divinæ Miſericordiæ, & Jeſu Redemptoris meritis unice innixa, ſuam, & aliorum ſempiternam ſalutem a Deo enixe expetebat, idque præſertim precabatur Divinum bonorum omnium Largitorem, ut ei, una ex miſericordia indulgere dignaretur in extremo die perſeverantiam in bono.

VI. Hac ſpe gloriabatur quoque in tribulationibus, in ærumnis, in infirmitatibus, in tentationibus, in anguſtiis, & quod potiſſimum in malis fratibus. Etenim a trigeſimo ſuæ ætatis anno ad mortem uſque acerbiſſimis adflictata morbis, capitis nempe doloribus acutiſſimis, viſcerum contorſionibus, febribus frequentibus, nec minoribus aliis corporis ægritudinibus, jucundo ſemper ſpiritu Dominum benedicendo, omnia ſuſtinebat, gaudebatque jugiter in ſuo corpore Chriſti Domini geſtare Crucem. Excitata quoque, Dæmonis ope a quibuſdam tartareis miniſtris adverſus ipſam crudeliſſimam perſecutionem; qua illi ſeu odio, ſeu invidia in ipſam acti, & per plateas coram populorum multitudine, eam iniquis onerabant injuriis, ſacrilegam, & maleficam vocando, & ſeu palam, ſeu clamculum in ejus vitam intendendo, pluries ei mortem, aut veneno, aut fraudibus, aut aliis impiis modis, a quibus Dominus prodigiis, & portentis eam liberavit, properabant: ipſa tamen hilariter ſemper, & in tribulationibus gaudendo, non ſolum pro ſuis inimicis Dominum frequenter præcabatur, verum & pro viribus ſuis illis grates, et beneficia rependebat. Et quamvis Dæmon ipſe magna vi, magnoque impetu eam exagitaverit, nunc obſcenis objectis cogitationibus, nunc diffidentia ſumma in ſuo corde excitata, nunc rumoribus, concuſſionibus, aliiſque larvis, et artibus eam concitando: ipſa tamen adjectis orationibus, & aſſiduis flagellis, jejunis ſeveriſſimis, quibus quotidie corpus ſuum in ſervitutem redigebat, gaudens ſemper, glorioſum de illo tulit triumphum. Eadem quoque jucunditate ad plures pluresque annos maxima, & acerbiſſima deſolatione ſpiritus a Cæleſti quoque Sponſo in exercitium virtutis, quæ in infirmitate perficitur, perculſa, cruciatus acerrimos incredibili conſtantia tulit omni agone duriores.

VII. At quoniam, ajente Apoſtolo, *ſpes non confundit, quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; ita charitas Dei quoque in ejus corde flagravit, ut inſolitis pulſationibus, & trepidationibus concuſſa continenter languere conabatur, ſpeciatim cum ad Sacroſanctum Euchariſtiæ, accedebat Sacramentum, a quo nonniſi ex obedientia divelli poterat, & martyrium reputabat, dum a Sacroſancto illo convivio retrahebatur. Cumque ſummopere illa a Deo expoſtulaverit, atque im-

impetraverit; ut omnes ejus virtutes, omniaque ſibi collata chariſmata mundo cælarentur, quæ vitam abſconditam cum Chriſto ducere inhiabat; idcirco quamvis ex hac ferventiſſima caritate plura alia nobiliſſima progreſſa fuerint virtutum facinora, & dona, nempe & eximia obedientia, qua fuit quoque mirabilis; ita ut nec digitum quidem ſine Confeſſarii oraculo, & præſcripto moveret; quamvis humilitate fuerit ſemper heroica, qua omnium minimam ſe omni tempore reputavit, & abjectiſſimam ſemper egit vitam; & quamvis frequenter ecſtaſi rapta, prophetiæ dono, diſcretione ſpirituum, ceteriſque divinis frueretur donis; id tamen Dominus mundi hominibus occultum, & abſconditum ſemper voluit. His exantlatis in omni virtute heroicis operibus advenit tandem optatiſſima ſui obitus dies, quam ipſa lætanter adſpexit, & quæ toto vitæ curriculo Jeſu Chriſti cruci adfixa fuit, ad extrema deveniens incredibilibus cruciatibus conſtanter, & hilariter de more toleratis, ita fuit in toto corpore concuſſa; ut iiſdem conſummata, & Eccleſiæ Sacramentis munita inter amplexus ſui dulciſſimi Sponſi; ut creditur, diem obierit extremum XIII. Calendas Martias præſentis anni 1756. ejuſque corpus palpabile, flexile repertum a Fratribus ſui Ordinis fuit ſub Altari S. Dominici, quem vivens ſemper coluerat, ſumma veneratione, & decenti funere ſepulturæ donatum.

Mira hæc virtutum facinora de Fratribus, Sororibuſque Gentis noſtræ exarare omni cura contendimus: *Ut ſit memoria illorum in benedictione, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo, & nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, Sanctorum Virorum gloria.* Eccleſiaſtici 46. v. 14. 15.

Si quæ irrepſerint typographorum errata Lectorum comitas temporis brevitati tribuat.

FINIS.